

Hæc Illustris. ac Celsis. & clementis. Dn. Princeps, T. C. obsecundans petitioni, eò prolixius proposui, cum mihi haud ignotum, T. C. rerum medicarum haud vulgarem habere cognitionem atq; scientiam, de iisdem cum Medicis con-

ferre animo libenti, & haud leve exin capere oblectamentum. Faxit Deus Opt. Max. ut T. C. ex proposito, aliquid opis ac levaminis, percipere valeat, id demissum ac præcandidum meum est votum.

CONSULTAT. II.

Attingit Illust. Dn. Dn. Christophorum Trucksesium, L. B. qui ex amissâ memoriâ, ut sui nominis oblitus, aliquot septimanarum spacio post secuta paralyss, cui successit apoplexia, qua illustris ager sublatus.

Illustris ac Generosus Dn. Christophorus Trucksesius, L. B. jur Scheer/ jam sexagenarius à Naturâ doratus sat procerâ, eleganti, Heroicâ & benè proportionatâ staturâ corpore *irragno* & membris robustis, in facie color vividus ad rubedinem moderatam inclinans, conspicuus, exin apparet, quod à prædominio sanguineæ complexionis, à subdominio melancholicæ, ob præstantiam intellectus: Epar ad calidam vergit intemperiem: cor obtigit calidius, cum ad iracundiam propensus, pulsus validus, in ventriculo nullus deprehenditur defectus, tam in appetendo, quam concoquendo cibo, exin conjiciendum, quod rectè temperatus: cerebrum obvenit calidius in activis, ex accidenti autem humidû, à vaporib⁹ ex subjectis partibus, inprimis ex calidioris Epatis constitutione, expirantibus, ibidem coagulatis ac condensatis. Cum igitur Ill. Dn. à Natura sat temperatam complexionem accepit, à juventute (etsi antehac in cibo & potu sat largos excessus commiserit) sat commodâ usus valetudine, nullis peculiaribus morbis obnoxius ac subiectus, nî quod paucis ab hinc annis, interdum à podagrâ & catarrhis molestatus. Ante biennium etiam serpigo in brachio dextro effloruit, jam autem evanuit, quories cutè denuò exedit, (quasi Natura exin velut fontanella mundificanda) melior successit fanitas: quin & intra biennium podagra non reversa, & à destillationibus immunis. Cum ante mensẽ, à vehementi catarrho noctu inprimis depluente, molestatus, memoria admodum est violata, cui occasionem

sionem haud leuam subministravit, tristis & inopinatus casus, dum Generosa Coniux, paucorum dierum intervallo, relicto terreno hoc domicilio, demigravit ad superos, exin per lamentationes & animi marores, non solum cerebrum, sed & totum corpus ita debilitatum, ut ex *utroque* ad maciem redactus, exin verum illud Salomonis compertum, quod spiritus tristis exiecit ossa, ne dum carnosa. Siquidem per angores, calor & spiritus vitales à circumferentiâ ad centrum cordis revocati, ipsius humidum radicale depascunt & absumunt, haud secus, ac igniculus ceram, aut sebum in candelâ liquefacit ac resolvit, hinc totum etiam corpus contabescit. Exin refertur de Marchione Casimiro **Bran-**
denburg. ob præcedentes animi maiores vitâ functo, cum post obitum ejus cadaver ad condituram, apertum, cor repertum ad eò exiccatum, ut inftar pyri tosti contractum. Quia verò non tantum ex tristitiâ, sed & ob ardua negocia, dum penè die noctuque per aliquot annos scribendo & meditando occupatus, cerebrum valde sit debilitatum, (etenim cum spiritus animales, functionum principum authores, ita & memoriae inservientes, generentur ex spiritibus vitalibus, his propter graviora animi pathemata lætis, noxa per sympathiam etiam spiritibus animalibus communicatur, & conse-

quenter memoria in posticâ cerebri parte residens, non parum violatur,) sed & cum podagra & catarrhi diu absentes, & serpigo retrocesserit, per quæ loca Natura, dum adhuc robustior in expellendo, omnis generis superfluitates à partibus principalioribus & internis visceribus velut centro ad circumferentiam & exterius propulsavit, ideoque ab aliis morbis præservatus. Exin haud mirandum, si materia pituitosa regurgitans ac restagnans, partim per ploratus & lachrymas, calore non naturali concitato liquefacta ac fluxilis reddita, partim fervore capitis ceu per cucurbitulam attracta, in cerebri sinus fuerit delata, in anteriores quidem devoluta, catarrhum invexerit, in posteriores autem præcipitata & ibidem subsistens Memoria vi suâ narcoticâ spiritus animales torpidos efficiens, imbecilliores reddiderit, prout in occipitio adhuc haud leve gravamen percipit, id luculentum præbet testimonium, materiam crassam ponderis sensum invehentem eò loci delitescere. Si loquendum, non si occurrunt nomina locorum & personarum, cum literæ ad subscribendum oblata nomen suum, salvâ adhuc manu, subscribere non potuit, exin conjectura, ipsum cum Messalâ Corvino Romano, sui nominis oblitum. Cum antè tres septimanas catarrho correptus, materiam phlegmaticam copiosam

piofam excernens, alterius Medici operâ usus, sed sine fructu, cum corpus prius evacuatum, ego adveniens eâ vespertinâ consului abluitionem pedum antè somnum usurpandam, ex dec. chamo. major, orig. Salviæ & Ros. quietior nox secuta, catarrhi ininûs molesti. Cum vena mediana aperta, sanguis effluens deprahensus in superficie crasso ac mucilaginoso phlegmate obductus, exin de catarrho nulla amplius querela, sed memoria imbecillior perseverat. Opera danda, quò humores pituitosi in cerebro subsistentes, subtrahantur, exhibendo pilulas præp. ex Extr. pil. coch. aur. sine quibus Extr. Panchymag. Crollii. Post ad specialiora cerebri emundatoria descendendum. Masticatoriam ex agar. mast. R. pyr. Nuc. mus. cub. Gargarif. ex dec. hyss. sem. carth. agar. cum oxymel. Tandem placerent pilulæ, ad mucilaginosam materiam è cerebro per *iniquos* detrahendam, ex bals. alo. myrrh. Gum. ammon. cum ac. scil. dil. sal. abs. mag. perl. concinnatæ.

Hiscæ præmissis, spes concipienda, confortantia cerebrum majori cum successu adhibenda, remoto prius obstaculo phlegmatico.

A vini potu aliquandiu abstinendum, decoctum lign. sassafras probandum.

Si autem optatus effectus à medicamentis expectandus, animi mœrores & melancholicæ imaginationes seponendæ, aliàs verendum (utinam falsus sim vates) nè Apoplexia, vel lethargus subsequatur. Proin Illustr. Dn. æger, pro summâ suâ prudentiâ, acceptâ Christianâ, Philosophicâ & Heroicâ fortitudine, suis affectibus debet dominari, eosque ita regere, ut subsint Rationis Imperio. Si Gratosus Dn. huic admonitioni obsecundaverit, indubium, quin Entis & Mentis (cum inter duas istas partes magna intercedat Sympathia, si una vim patiat, & altera coafficiatur) melior constitutio speranda. Cum Gratosus Dominus à me efflagitavit, ut affectum suum refractarium circumstantialiter literis consignatum communicarem, cuidam Medico pro Consilio transmittendum, par ac æquum duxi, præstare obsequium. Faxint superi, ut juxta spem conceptam talia proponantur, quæ ad recuperandum meliorem statum magis proficua. Sed omnia Consilia irrita quin brevî post, juxta meum prognosticum, primò dextri lateris paralysis invaserit, post menstruum spatium demum valida Apoplexia secuta, quæ finem vitæ imposuit.

CON-